

PROOEMIUM

mus) reperiatur, qui uel per suos incognitos orbis, uel per octauæ spheræ motum adhuc nobis ignotum, regulari non possit, per quam planetarū orbis aliquāliter agitari censentur, eadem ratione, qua medicina, & reliquæ artes per sensibiles etiam, uel minimos errores non repelluntur, & eademmet ipsæ astrologicæ tabulæ minime abdicari debent. Et si nanq; medicus (ut Abiosus inquit) alterationem complexionis ab uno mense ad alium non cognoscit, ipsam tamen per discrepan-  
tiam qualitatum in annis decem uel pluribus compræhendit, ut à sanguinea ad cholericam complexionem migrasse. Nec minus si superiorum planetarum motus ex octauæ orbis motu agitari & concitari possunt, & propterea tabularis ratio in aliquo deficiat, nouam tamen per obseruationem mediantibus geometricis instrumentis corrigi, & emendari possunt. Quod Ptolomæus maxime in compositione magna Almagesti obseruandum præcepit, ad hoc ut Astrologorum error saltem sensibilis minime appareat. Quod quoniam per prædecessores nostros, & Alphonsum deniq; in Sole & Luna, ac inferioribus etiam ob crebras ipsorum reuolutiones longe magis obseruatum uidemus, ideo nullus in his, uel sensibilis saltem error innotuit. Illos ergo maiores, & antiquiores nobis prorsus imitandos duximus, quod Ioannes ille Montereгиensis, Paulus episcopus Forosempronien-  
sis, Ioannes Stœflerus (exclusa prædictorum minorū temporis anticipatione), Ioannes Blanchinus, & plures alij æuo nostro mathematici insignes æque effecerunt. donec inquam & quousq; iuniorū obseruationes, non semel, sed pluries, nec in planetarum motibus tantum, atq; annua solis reuersione quā etiam in octauæ orbis circulatione, per aliquot temporis spatium comprobentur. quum singuli inferiorum orbium motus à superiori etiam aliquatenus æque dependeant, propterea nō potest duobus pedibus claudus, si uno tantum sanetur, rectus incedere. Quare tritam modo semitam prosequendo, planetarum, ac stellarum loca consulto nolui temere immutare (quum non mea sit, qui mathematicorum omnium peripsema, uel minimus equidem mihi uideor) nisi quantum per antiqua Græcorum atq; latinorum exemplaria syderum loca aliqua emendauimus, nec minus celo æque decurrentia trutinauimus, quæ pluribus in locis scriptorū incuria longe deprauata reperiuntur. Quemadmodū postremum fusionis stellam Anno domini labente. 1535. die. 22. Julij cum Iouem summo cœli cardine collocatam, eodem pariter momento cœli mediū pertransire. Quarum modò ambarū stellarum latitudine perspecta, adhibitaq; utriusq; differentiæ norma, ob remoti-  
onem à nonagesimo gradu eclipticæ & mediæ cœli transitū, easdem cum septima piscium parte minus tertiâ gradus unius, uel circiter meridianum circulum proprijs oculis pertransire perspexi. Quo cum gradu stella eadem fusionis aquæ cœli ipsum ex tabulis nostris mediare concernitur, uigesimalimum septimum piscium gradum præsentis tempore decurrens, quum tamen stella ipsa iuxta deprauatam tabularum plurium, atq; etiam Ioannis Montereгиensis, siue Stœflerini ephor-